

incipit: In Sacro-Sancta, Catholica Fidei professionem publicam severe insuper exigat à quibuscumque promotis, & promovendis ad aliquam AA. LL. Facultatem, electisque, & eligendis ad Cathedras, Lecturas, & Regimen publicorum Gymnasiorum, hisque omnibus presentem formam præferat. Quam etiam servare debent Heterodoxi ad fidem Catholicam conversi, & ad faciendam publicam fidei professionem C. ad abolendam 9. de hæreticis obligati. Item Græci, sive ad unitatem Catholicæ Ecclesiæ relicto Schismate redeuntis, sive tanquam Orthodoxi ad supra relata quoquo modo promovendi; Græcorum tamen formula, præter presentem fidei professionem, insuper decretum fidei in Synodo Florentina editum

completur, uti videri licet in Constitutione 33. Gregorii XIII.

345. Scopum, quem fidei sub Pius IV. in concinanda hac fidei formula præfixit, ipse in utraque Bulla insinuat, videlicet: tum, ut unius ejusdem Fidei Professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque, ac certa ejus forma innotescat; tum, ut Domini grex curæ illius committitur non solum ab apertis rapacium temporum, undecumque caulis obstreptantibus, insultibus, sed etiam à magis formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis — ipso Domino cooperante, præservetur.

Cui hæc de Symbolis occasione Tituli I. dicta cedant ad majorem gloriam.

## TITULUS II.

### De Constitutionibus.

1. Absolutis Titulo primo iis, quæ continent ad jus credendorum, quibus regulatur intellectus in ordine ad pie, & juste vivendum in hoc sæculo, quæque in Symbolis continentur; ad alias, quibus in eundem finem regulatur voluntas, atque externa conversatio, Titulo secundo progredimur; notis historicis Constitutiones Ecclesiasticas, ea, qua Titulo præcedenti usi fuimus, methodo illustraturi; de civilibus enim pariter tractare suscepti operis & ratio, & angustia prohibet.

2. Nomine autem Constitutionum Ecclesiasticarum veniunt Canones Conciliorum, decreta Pontificum, æstata Patrum, legesque civiles in corpore Juris Canonici, ut ajunt, canonizata.

3. Hi Canones, decreta, sententiæ, & leges sparsim subinde editæ primis, & subsequentiis Ecclesiæ sæculis, in unum corpus sæpius sunt collectæ: unde variz

Canonum collectiones prodierunt, & de his collectionibus agemus I. de jure novissimo è Constitutionibus constituto, simulque de variis aliis ad corpus Juris Canonici spectantibus II. Cumque ad restant Legum Ecclesiasticarum, earumque obligationis notitiam comparandam plurimum interlit nosse concordata Sacerdotium inter & Imperium, de his, in quantum concernunt nostram Germaniam, agemus III.

#### CAPUT I.

De Sacrorum Canonum collectionibus tam Orientalibus, quam Occidentalibus in genere.

4. **E**TSI sacri Canones, à generalibus, sive à particularibus Conciliis, sive ab alia legitima potestate lati, ex se haberent vim obligandi vel universalem, vel

par-

particulares Ecclesias; à primis tamen Ecclesiæ temporibus in certos quosdam codices sunt relati: tum ut horum ope cuilibet innotesceret, quas regulas in disciplina sequi oporteret; tum ut nullus de autoritate earum regularum dubitandi locus superesset, nullique spuri pro veris Canonibus obtruderentur.

5. Hæ collectiones dividi primo possunt in Orientales, & Occidentales. Orientales sunt, quibus Orientalis Occidentales, quibus Ecclesia Occidentalis utitur. Ambæ subdividuntur in veteres & recentiores; veterum nomine intelligimus eas, quæ olim; per recentiores vero eas, quæ nunc in utraque Ecclesia usum habent.

6. Collectiones tam veteres, quam recentiores bifariam rursus partiiri possunt, videlicet in majores, seu quæ omnem materiam Canonicam ambiunt; & in minores, seu particulares, quæ ad particulare unum vel plura argumenta restringuntur. Veteres Occidentales majores sunt collectiones Isidori, vulgo Mercatoris, Reginonis, Burchardi, Ivonis Carnotensis. Minores sunt collectio Martini Braccarensis, Poenitentia Theodori Cantuariensis, Ven. Bedæ, Egberti, Rabani, & Poenitentiale Romanum. Recentiores majores sunt decretum Gratiani, & decretales Gregorii IX. Minores sunt Sextus, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII. Extravagantes communes.

7. Hæ omnes collectiones considerari possunt vel quoad materiam, vel quoad formam; quoad materiam considerantur, si spectentur ea, quæ in illis disponuntur; hæc autem sunt Canones Conciliorum tum Generalium, tum particularium, decreta Pontificum, sententiæ Patrum, Leges civiles; quoad formam vero spectantur, si pensentur ordo, seu ipsa harum materiarum dispositio.

8. Quantum ad materiam harum collectionum, primitivæ tam Græcæ, quam Latinæ solos continebant Canones Con-

ciliorum. Græcis postmodum adjecti sunt Canones Apostolorum, & sententiæ Patrum Græcorum: Latinis vero decreta Pontificum, atque æstata Patrum Latinorum; ab utrisque Leges civiles subinde non exclusæ. Prima pars infra patebit, referendo primitivas collectiones. Secunda, tertia, & quarta pariter constabit, agendo de utriusque Ecclesiæ codicibus auctis.

9. Quantum ad formam, seu harum materiarum dispositionem, & ordinem, cum hic sit duplex, Temporum, & Argumentorum, in primitivis utriusque Ecclesiæ collectionibus, sicut & in Græca, quæ post Chalcedonensè Concilium facta est, & in Latina à Dionysio Exiguo concinnata, Ordo Temporum servatus est, seu Canones Conciliorum continua numeratione serie, servato inter illos majori ex parte ordine chronologico, dispositi; in posterioribus vero Latinis, præsertim post Gratianum adornatis, & ordo temporum & argumentorum adoptatus, ita ut varii Canones circa eandem materiam à diversis Conciliis editi sub eodem titulo collocarentur, & iidem Canones sub eodem titulo chronologicè disponerentur: qui duplex ordo in Orientalibus collectionibus pariter servatus est, præcipue in collectione Joannis Antiocheni, & Photiani.

10. Græci genus collectionis habent, quo caret Latini, illud videlicet, quod juxta ordinem alphabeticum disponitur; talis est collectio Matthæi Pflares, in qua Canones juxta eundem ordinem adnumerantur.

11. Quædam præterea apud Græcos sunt collectiones, *Nomocanones* dictæ, id est, concordia Legum civilium cum Canonibus: inter quas insigniores sunt eæ, quæ Joannem Antiochenum, & Photium Authores habent. Prior in quinquaginta, posterior in quatuordecim titulos distribuitur. In utraque singularum titularum Canonibus Leges congruæ subjiciuntur. Et hujusmodi collectionibus pariter caret Latini; licet enim in pluribus Leges Ci-

N 2

viles

viles Canonibus miscantur, non tamen in omnibus titulis laudantur, multo minus Canonibus continua serie collectis eadem serie subijciuntur.

12. Græci, & Latini supposititias collectiones habent, id est, vel in integrum, vel ex parte confatas ex Canonibus, qui eorum non sunt, quorum nomen præferunt. Talis apud Græcos est Collectio Isidori Mercatoris, quantum ad Epistolam veterum Romanorum Pontificum utque ad Siricium Papam, & quædam alia, de quibus ex professo infra.

13. Græci, & Latini habent Breviaria Canonum, in quibus sensus tantum, non verba, referuntur; ea Latini diu ante Græcos habuere. Tale est *Compendium* Ferrandi Diaconi Ecclesiæ Carthaginensis sæculi VI. editum, & Cresconii Episcopi Africani sæculi VII. compilatum. Primum 332. alterum 300. Canonibus constat; amboque juxta seriem argumentorum disponuntur. Tale est etiam juxta aliquorum sententiam *Epitome* Canonum ab Adriano I. ad Carolum M. missa, quamvis alii eidem integrum codicem Ecclesiæ Latine ab Adriano præsentatum non improbabiler adferunt. In eadem classe collocari quoque possunt *Exceptiones* Egberti Archiepiscopi Eboracensis, quæ ordine argumentorum digeruntur.

14. Compendia Græcorum XI. XII. & XIII. tantum Arcubis prodire. Primum Authorem habet Aristemum Monachum; secundum à Simone Logotheta profectum, ambo juxta temporum ordinem; tertium ab Arsenio Monacho confectum est juxta seriem argumentorum. Celeberrimum & præstantissimum est compendium Harrenopoli Judicis Thesalonicensis.

15. Ex omnibus Occidentalibus Canonibus soli Conciliorum Africanorum, & Synodi Sardicenses in collectiones græcas ingressi sunt. Prima, in qua reperiuntur Canones Sardicenses, est Joannis Antiocheni. Conciliorum Africanorum Canones à Græcis adoptati, & approbati non

fuerunt, nisi in Concilio Trullano can. 2. a. 692. & postea Codici ex dispositione hujus Canonis inserti.

16. Inter collectiones Latinorum solus Canonum Africanorum codex Canonibus Orientalibus caret. Alias Græci Canones in Latinis Codicibus ut plurimum sunt præcipui, ut facile patebit ei, qui eos percurreret, vel eorum indicem, aut præfationem perleget. Imo antiquissima Latinarum collectionum nihil aliud sunt, quam versiones Canonum Orientalium, quibus nonnulli Canones Occidentales adjecti sunt. Tales sunt collectio Latina, quæ Dionysii Exigui collectionem præcessit; collectio ipsa Dionysii quantum ad primam partem, collectio Martini Braccarensis, collectio Pseudo-Isidori, & illa, quam Leo IV. c. 1. *dist.* 20. è Canonibus Orientalibus priorum quinque sæculorum specialiter compilatam, nec non ex Canonibus Sardicensibus, Africanis, Carthaginensibus, atque decretis Pontificum, commemorat.

17. In nulla Græcorum collectione decretales Pontificum Canonibus annuerantur. Collectiones Græcorum, & Latinorum collectionibus Corporis Juris anteriores glossa carent. Videantur Leuclavius in 2. *tomis Juris Græco-Romani tam Canonici, quam Civilis*; Florens in *disertatione de origine Juris Canonici*; Gilbertus in *Corporis Juris Canonici per regulas ordine naturali digesto*, unde hæc, quæ de collectionibus Canonum tam Orientalium, quam Occidentalium dicta sunt, excerptimus.



CA-

## CAPUT II.

De collectionibus Canonum, & Constitutionum vulgo Apostolorum in specie.

## §. I.

De collectione Canonum vulgo Apostolorum.

18. **E**X duplici capite hæc collectio reliquis ordine antecedit. Primo, quia viri non infimi subseclii eam à Clemente I. S. Petri Discipulo primo Christianæ Æræ sæculo compilatam affirmant. Secundo, quia illi, qui negant hos Canones esse Apostolorum per Clementem editos, nihilominus fatentur, eorum compilationem esse antiquissimam.

19. Circa dictos Canones duo principaliter controversantur inter Eruditos. Primum est circa eorum numerum, alterum circa illorum Authorem. Quod ad numerum attinet, licet plures è præcis Patribus aliquorum ex hisce Canonibus meminisse videantur; nil tamen certi de eorum numero è quopiam antiquorum elici potest. Circumfertur equidem Epistola Zephirini Papæ, qui vixit sub finem sæculi secundi, in qua dicitur: 70. enim *Apostoli sententias præfixerunt*: at, præterquam quod Gratianus *dist.* 16. c. 2. pro 70. legat 60., & Gregorius Presbyter in sui *Polycarpi lib. 3. tit. 2.* quinquaginta, ut annotant Correctores Romani ad dictum c. 2.; insuper hodie compertum est, nihil ex illa Epistola pro antiquitate concludi posse, utpote quem norunt Eruditi omnes, unam esse è Decretalibus primis Pontificibus suppositis.

20. Sæculo V. in Ecclesiâ Orientali collectionem 85. Canonum Apostolicorum existisse, constat ex Joanne Scholastico, primum Antiochiæ (unde & Antiochenus dicitur) Presbytero, postea Pa-

triarcha Constantinopolitano, Dionysio Exiguo, qui sæculi sexti initio floruit, cœvo; hic enim in præfatione suæ collectionis Canonum dicitur ait: *Sancti Domini Discipuli, & Apostoli 85. Canones Clementis opera ediderunt.*

21. Eodem sæculo V. exeunte, Dionysius Exiguus sum Canonum codicem adornans Canones 50. sub nomine Apostolorum è græco in latinum transtulit, aliisque Canonibus in suo codice præmisit sub hoc titulo: *Incipiunt regule Ecclesiasticæ Sanctorum Apostolorum, prolatae per Clementem Ecclesiæ Romanæ Pontificem.*

22. Octuaginta quinque Canones Apostolorum ab Orientalibus Ecclesiis recepti sunt sexto saltem ineunte sæculo; ante quinti sæculi supremam in Oriente non probati.

Probatur prima Pars ex Justiniano Augusto, qui illo sæculo Imperii clavum tenuit, hos Canones prolixè commendante in *Constit.* ad Epiphanium Patriarcham CP. his verbis: *Recte ac congruenter omnia agerentur, si ipsum rei initium Deo gratum esset: quod quidem certe futurum credimus, si sacri illi Canones diligenter observentur, quos nunquam satis laudati, adorationeque digni, & qui ipsum Filium Dei conspexerunt, illicque ministrarunt, Apostoli nobis reliquerunt, ac Sancti Patres custodierunt, & interpretati sunt.* A Justiniano porro hos ipsos, quos nunc habemus 85. Canones, intelligi, constat primo ex eo, quod eodem tempore totidem à Joanne Scholastico in suum Nomocanonem relati sunt. Secundo ex Trullana Synodo, quæ VII. exeunte sæculo celebrata est, Canone 2. ita decernente: *Hoc quoque huic S. Synodo pulcherrime & sanctissime placuit, ut deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi stabileque maneant, qui ab iis, qui nos præcesserunt, sanctis & gloriosis Apostolis traditi sunt 85. Canones.* Reteritur hic Ca-

noy

non apud Gratianum distinctione 16. cap. 4.

Probatur secunda Pars I. Si ab Orientalibus Ecclesiis ante sexti sæculi exordia recepta fuisset dicta 85. Canonum Apostolorum collectio, eam Ecclesiasticorum Canonum codici inferuissent, ac ante ceteros omnes collocassent; atque Orientalis Ecclesia Canones Apostolicos nullo plane loco, & numero in suo Canonum codice censuit ante sæculum sextum: ergo recepti antea non erant illi Canones. M. patet: quia illum locum illis vendicabat eorum tum auctoritas, tum antiquitas; mi. vero infra à n. 88. & seqq. agendo de codice Ecclesie Græcæ in Concilio Chalcedonensi lecto, & probato, evincetur, ubi argumento demonstrativo ostendetur, Canones Apostolorum in illo codice non existisse.

Probatur secunda Pars II. Si ante sæculum sextum in Oriente recepta fuisset Canonum Apostolorum collectio, & tertio jam adulto sæculo innotuisset, Firmilianus, alique Episcopi Orientis in controversia de Baptismo hæreticorum iterando, quæ eos, uti & Cyprianum, atque Afros cum Stephano Romano Pontifice commisit, illorum auctoritatem, suæ sententiæ cum primis faventem, protulissent. Firmilianus namque, & alii Orientales paribus cum S. Cypriano, & Africanis Episcopis studii asserabant, baptizatos ab hæreticis Spiritum S. qui ad solam Ecclesiam pertinet, suscipere non potuisse. Stephanus è contra asserbat, traditionem non esse innovandam, neque repetendum baptismum ab hæreticis collatum; sed manus in poenitentiam baptismatis imponendas. Stephanus nitebatur antiqua consuetudine, cui Cyprianus Scripturas opponerebat. Firmilianus vero Stephano obiciebat consuetudinem, quæ vigeat in Oriente. Certe nihil opportunius accedere poterat hæc contentione, ad urgendam Canonam Apostolicorum auctoritatem, si ea tempestate concinnata fuisset illorum

collectio; nihil enim à Firmiliano proferri poterat luculentius ad confirmandam consuetudinem illam constantissimam, & in Apostolica Traditione (ut contendeat) quamque Stephano Pontifici Romano obtrudebat, fundatam, quam Canones Apostolici 45. & 46. infra n. 25. referendi, Cypriano, & Firmiliano apertissime faventes. Itaque ex silentio Firmilianus, & Cypriani, omniumque Episcoporum, tum Asianorum, tum Afrorum colligitur; ignotos ea ætate Orientalibus fuisse Canones Apostolicos.

23. Quinquaginta priores Canones, à Dionysio initio sexti sæculi in codicem Latinæ Ecclesie relati, inter Ecclesiasticas Regulas ab omnibus Ecclesiis statim admitti non sunt; atque tam successu temporis per universam Ecclesiam Latinam auctoritatem obtinuerunt, 35. posterioribus rejectis.

Probatur prima Pars I. testimonio ipsius Dionysii in suæ collectionis præfatione, quæ existit apud Colet. Tom. 1. Conciliorum pag. 1., in qua Stephanum, ad quem opus mittit, his verbis admonet: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de græco translulimus; quibus quia plurimi consensum non præbuerunt facilem, hoc ipsum Vestram nolimus ignorare Sanctitatem, quamvis postea constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta esse videantur.* Id ipsum titulus Cresconianæ collectionis præfixus præfert, teste Baronio ad A. D. 102. §. 10. qui quoad posteriora istem fere verbis, quibus relata ex Dionysiana translatione perodius, confectus est.

Probatur II. Quia neque Ferrandus, Carthaginensis Ecclesie Diaconus, Apostolicis Canonibus locum ullum in suo Brevariario Canonum dedit, quod circa sexti sæculi principia concinnavit, atque publicavit; neque Martinus Braccarenensis, qui in Hispania obiit anno D. 580. eos vel memoravit, aut inseruit in sua illa græcorum Canonum interpretatione, quam

Col-

Collectionis Orientalium Canonum nomine editam ad Nitigesium misit A. D. 572. Ergo.

Probatur secunda Pars ex Leone IV., qui circa medium sæculi IX. sedit, atque in ep. a. 849. ad Episcopos Britannie data ita habet: *Quibus in omnibus Ecclesiasticis iudiciis utimur, sunt Canones Apostolorum, Nicænorum, &c.* Videlicet ex codice Dionysii Exigui, qui tunc Romæ in usu erat, & in quo soli 50. priores continentur. Refertur hæc epistola à Gratiano *dist. 20. c. 1.*

Probatur tertia Pars ex Leone IX. Sæculo XI. sedente, in responsione contra epistolam Nicetæ, aut potius in rei veritate, ex responsione Humberti, ejusdem Pontificis Legati, ad libellum ejusdem Nicetæ, & refertur à Gratiano *dist. 16. c. 5.* his verbis: *Clementis librum, id est, Petri Apostoli itinerarium, & Apostolorum Canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis 50. capitibus, quæ decreverunt Orthodoxæ Fidei adjungenda.* Ex quo patet, Sæculo XI., quo floruit Humbertus, & XII., quo floruit Gratianus, Latinos 50. priores Canones censuisse Apostolicos, 35. posterioribus tanquam apocryphis rejectis.

Id quod confirmari potest ex verbis Urbani II. qui A. 1088. Romæ sedit, apud Gratianum *dist. 32. c. 6.* sub nomine Alexandri II. ita relatis: *Sciendum vero, quod Canones Apostolorum (quorum auctoritate Orientalis, & ex parte Romana utitur Ecclesia, &c.)* his enim significat Summus ille Pontifex, Græcos 85. Canones Apostolorum, Latinos vero eorumdem dumtaxat partem, hoc est, 50. priores admittere.

24. Dices. Quomodo Ecclesia Latina recipere potuit 50. priores Canones, cum 45. & 46. de rebaptizandis hæreticis errore continere videantur ab illa damnatum, ut infra videbitur?

Resp. Ecclesiam Latinam, recipiendo codicem Dionysianum, 50. priores Ca-

nones Apostolicos ejusdem frontis insertos una recepisse, non tamen Canonem 45. & 46. in sensu ab authoribus eorumdem intento, qui infra n. 33. & seqq. probabitur, approbasse. Nam etiam Decretales Gregorii IX. dicuntur à tota Ecclesia receptæ, etsi plura capita in variis Ecclesiis ob statuta, & consuetudines contrarias inibi vigentes, non observantur. Unde & Authores hos Canones tantum vocant ab Ecclesia Romana magis receptos.

25. Latini in posterioribus Conciliorum editionibus tandem omnes 85. Canones Apostolorum ediderunt; atque in recentioribus Corporis Juris Canonici editionibus post decretum Gratiani omnes exhibentur sub hac epigraphe: *Canones Sanctorum Apostolorum, per Clementem à Petro Apostolo Romæ ordinatum Episcopum, in unum congesti.* Quos, etsi mox censuimus apocryphos; nihilominus hic ex versione Holoandri, prout est in *Corporis Juris Canonici edito Colonia Munatiane de A. 1670. pag. 1266.*, adnumerabimus, eo quod, ut ait Vir in re canonica veratissimus Gabriel Albaspinax Episcopus Aurelianensis, *satis constat, nil quidquam in iis reperiri, quod Ecclesie LV. primorum sæculorum disciplina consentaneum non sit;* veluti constat ex collatione eorumdem cum Canonibus priorum V. sæculorum, facta à clarissimo D. Giberto in sui Corporis Juris per regulas ordine naturali digesti parte 1. à pag. 45. & seqq., quam ad vindicandum eorumdem honorem, qui in præjudicio incerti auctoris nutare potest, & suo tempore magnopere nutabat, egregio labore perfecit.

Canones Sanctorum Apostolorum per Clementem, à Petro Apostolo Romæ ordinatum Episcopum, in unum congesti.

1. Episcopus à duobus aut tribus Episcopis ordinatur.

2. Presbyter ab uno Episcopo ordinatur.

tor: item Diaconus, & reliqui Clerici.

3. Si quis Episcopus aut Presbyter, præter ordinationem Domini, quam de Sacrificio instituit, alia quepiam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quadam, aut aves, aut aliqua animalia, aut legumina supra Altare obtulerit, aut qui contra ordinationem Domini faciat, deponitur, excepto novo frumento, & uva opportuno tempore. Præterea licitum non est aliud quidpiam admovere ad Altare, quam oleum in candelabrum, & incensum oblationis tempore.

4. Omnium aliorum pomorum primitia Episcopo, & Presbyteris domum mittuntur, non super Altare. Manifestum est autem, quod Episcopus, & Presbyter inter Diaconos, & reliquos Clericos eas dividunt.

5. Episcopus autem, Presbyter, aut Diaconus uxorem suam prætextu religionis non abjicit: si abjicit, segregatur à communione: si perseverat, deponitur.

6. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus seculares curas non suscipit: alioquin deponitur.

7. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus sanctum diem Pasche ante verum æquinodium cum Judæis celebraverit, deponitur.

8. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quicumque ex Sacerdotali consortio, oblatione facta non communicaverit, causam dicit. Et si bona ratione subnixus sit, veniam promeretur. Si minus dixerit, à communione excluditur, tanquam qui populo auctor offensionis fuerit, mota contra eum suspitione, qui obtulit.

9. Quicumque Fideles Ecclesiam ingrediuntur, & Scripturas audiunt, neque apud Preces, & sanctam Communionem permanent: eos tanquam, qui Ordinis in Ecclesia perturbationem inducant, à Communione arceri oportet.

10. Si quis cum excommunicato, li-

cet in domo, Preces conjunxerit, iste communione privatur.

11. Si quis cum deposito Clerico, ut cum Clerico Preces conjunxerit, deponitur & ipse.

12. Si quis Clericus aut Laicus à communione segregatus, seu nondum in communionem receptus, ad aliam profectus Civitatem sine commendatitiis literis receptus fuerit, à communione excluditur tam qui recepit, quam qui receptus est. Si excommunicatus fuerit, in longius illi tempus excommunicatio protenditur. Hic Canon à Græcis in duos dividitur.

13. Episcopo, qui Parochiam suam dereliquerit, alteri insilire nefas est, licet à pluribus ad hoc compellatur: nisi rationabilis aliqua causa subist, quæ hoc ipsum facere vi adigat: nempe quod plus lucri, & utilitatis his, qui illic constituti sint, verbo pietatis conferre possit: neque hoc tamen à se ipso, sed multorum Episcoporum judicio, & exhortatione maxima.

14. Si quis Presbyter aut Diaconus, aut quicumque tandem de Clericorum consortio, relicta Parochia sua, in aliam concesserit, & omnino, transmigratione facta, præter voluntatem sui Episcopi in alia Parochia moram traxerit; hunc jubemus, ne porro in Ministerio publico sit Ecclesie, maxime, si accersente eum Episcopo ejus, redire contemnat, perverso illic ordine perseverans: ut Laicus tamen ibi locorum in communionem admittitur.

15. Quod si Episcopus, ad quem accesserint, pro nibilo reputata vocationis à Ministerio Ecclesiastico pena, qua contra eos definita est, ipsos ut Clericos susceperit, à communione excluditur, ut perversi ordinis magister.

16. Qui post Baptismum duabus implicatus fuit nuptiis, aut concubinam habuit, si Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut denique in consortio Sacerdotali esse non potest.

17. Qui viduam duxit, aut divorcio

sepa-

separatam à viro, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam, quæ publicis mancipata sit spectaculis, Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut denique ex consortio Sacerdotali esse non potest.

18. Qui duas Sorores duxit, aut Consobrinam; Clericus esse non potest.

19. Clericus, qui fideiussiones dat, deponitur.

20. Si quis humana violentia emuebus factus est, aut in persecutione amputata ei sunt virilia, aut ita natus fuit, & dignus est, efficitur Episcopus.

21. Qui sibi ipsi virilia amputavit, Clericus non efficitur: sui enim ipsius homicida est, & inimicus creationi Dei.

22. Si quis, cum Clericus esset, virilia sibi ipsi amputaverit, deponitur: homicida enim sui ipsius est.

23. Laicus, qui se ipsum mutilavit, per tres annos à communione ejicitur: puta, quia ipse vite sue posuit insidias.

24. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus in fornicatione, aut perjurio, aut furto deprehensus, deponitur: non tamen à communione excluditur. Dicit enim Scriptura: Bis de eodem delicto vindictam non exiges. Eidem conditioni consimiliter & reliqui Clerici subduntur.

25. Ex his, qui castibes in Clerum pervenerunt, jubemus, ut Lectores tantum, & Cantores (si velint) nuptias contrahant.

26. Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, qui vel Fideles delinquentes, vel Infideles injuriam inferentes percutit, & terrorem ipsis per hujusmodi vult incutere, deponi præcipimus. Nusquam enim Dominus hoc nos docuit. Imo vero contra, cum ipse percuteretur, non repperit: eum læsseretur convitiis, non regerebat convitium: cum pateretur, non comminabatur.

27. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ob certa crimina jure depositus attingere Ministerium, quod aliquan-

Tom. I.

do tractaverat, presumpserit, omnino hic ab Ecclesia absconditur.

28. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus pecunie intervenit hanc dignitatem nactus fuerit, deponitur tam ipse, quam qui eum ordinavit, & omnino à communione absconditur, quemadmodum Simon Magus à me Petro.

29. Si quis Episcopus secularium Magistratum familiaritate usus, per ipsos Ecclesiam nactus fuerit, deponitur: segregantur quoque communione, quicumque cum ipso communionem habent.

30. Si quis Presbyter proprium aspernatus Episcopum seorsum conventicula egerit, & Altare exerit, cum de nulla crimine Episcopum in pietate ac justitia condemnarit, deponitur, quasi qui principatum ambiat: Tyrannus enim est. Consimiliter & reliqui Clerici, qui summi illi calculum apponunt. Laici vero à Communione segregantur. Atque hæc post unam, & item alteram, ac tertiam Episcopi exhortationem fiunt.

31. Si quis Presbyter, aut Diaconus per Episcopum à communione exclusus sit, hunc neuiquam ab alio fas est suscipi, quam ab eo, qui ipsum à communione excludit; nisi forte fortuna Episcopus, qui ipsum à communione segregavit, defunctus sit.

32. Nemo Peregrinorum Episcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum sine commendatitiis suscipi: or literis: & si eas obtulerit, attentius in disquisitionem vocantur. Et quidem si Predicatores pietatis fuerint, suscipiuntur; sin minus, ubi necessaria ipsis suppeditaveritis, ad communionem, & ulteriorem ipsos consuetudinem non admittitote: multa enim per obreptionem sunt.

33. Cujusque Genitis Episcopus oportet scire; quinam inter ipsos primus sit, habereque ipsum quodammodo pro capite, neque sine illius voluntate quicumque agere insolitum: illa autem sola quemque pro se tractare, quæ ad Parochiam ejus, &

O

loca

loca ipsi subdita attinent. Sed neque in illa citra omnium voluntatem aliquid facito. Ita enim concordia erit, & Deus glorificabitur per Dominum in Sancto Spiritu.

34. Episcopi extra terminos suos in Civitatibus, & Regionibus sibi non subiectis Orationes facere non presumunt: si vero præter voluntatem eorum, qui Civitates illas, aut Regiones detinent, id fecisse convictus fueris, deponitur tam ipse, quam etiam hi, quos ordinavit.

35. Si quis ordinatus Episcopus Ministerium, & Curam Populi sibi commissam non susceperit, hic à communione se iunctus esto tam diu, donec susceperit, obedientiam accomodans. Similiter autem & Presbyter, & Diaconus. Si vero non præ voluntate sua, sed præ malitia Populi non susceperit, maneto ipse quidem Episcopus, Clericus vero ejus Civitatis à communione segregator, eo quod tam inobedientem Populum non corripuerit.

36. Bis in anno Episcoporum celebrator Synodus: ac pietatis inter se dogmata in disquisitionem vocantur, neque non in Ecclesiis incidentes contradictiones dirimuntur, semel quidem quarta feria Pentecostes, secundo duodecima Hyperbetei.

37. Omnium rerum Ecclesiasticarum curam Episcopus gerit, & eas dispensato, quasi inspectante Deo. Non licitum autem ei esto quippiam ex iis sibi tanquam proprium assumere, aut cognatis suis largiri, quæ Deo dedicata sunt. Quod si pauperes illi sint, ut pauperibus ministrato: non tamen horum prætextu res Ecclesiæ venundato.

38. Presbyteri, & Diaconi absque voluntate Episcopi nihil peragunt: ipsius enim fidei Populus Domini commissus est, & pro eorum animabus ab ipso repetitur ratio.

39. Manifesta sunt privata res Episcopi, si modo & privata habet: manifesta itam sunt Dominicæ, ut privata

quidem res Episcopus, cum moritur, quibus vult, & quomodo vult, relinquendi facultatem habeat: neque occasione Ecclesiasticarum rerum intercidant res Episcopi, qui nonnunquam uxorem, & liberos, aut cognatos, aut servos habet. Iustum enim est apud Deum pariter, & homines simul, ne Ecclesia per ignorantiam rerum Episcopi damni aliquid sustineat, simul ne Episcopus aut cognati ejus prætextu Ecclesiæ obladantur: aut etiam qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia, ejusque mors implicetur diffamationibus.

40. Præcipimus, ut Episcopus res Ecclesiæ in potestate habeat. Nam si pretiose hominum animæ fidei ejus committenda sunt, multo utique magis oportuerit, & de pecuniis mandatum dare, ut illius arbitratu dispensentur, neque non cum timore Dei, summaque sollicitudine per Presbyteros ac Diaconos erogentur in Pauperes. Percipiat autem, & ipse (se modo indiget) quantum ad necessarios suos, & hospitio exemptorum fratrum usus opus habet, ne quo modo ipse posteriore loco habeatur, quam ceteri. Ordinavit enim Lex Dei, ut qui altari inserviant, de altari nutriantur: quomodo nec milites unquam suis annonis arma hostibus inferunt.

41. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui vel ales, vel ebrietatibus indulget, vel desinito, vel deponitur.

42. Subdiaconus, aut Cantor, aut Lector, qui consimilia facit, vel desinito, vel à Communione se iungitur, similiter & Laici.

43. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui usuras à mutuum accipientibus exigit, vel desinito, vel deponitur.

44. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui cum Hæreticis preces coniuxerit, dumtaxat à Communione suspenditur. Si vero etiam ipsos tanquam Clericos aliquid agere permiserit, deponitur.

45. Episcopum aut Presbyterum, qui Hæreticorum Baptisma aut Sacrificium susceperit, deponi præcipimus: quæ etenim conventio inter Christum, & Belial? aut quæ particula fidei cum infidelis?

46. Episcopus aut Presbyter, si cum, qui verum Baptisma habeat, iterum baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponitur, ut qui Crucem, & mortem Domini derideat, neque discernat veros Sacerdotes à Sacerdotibus impostoribus.

47. Si quis Laicus cum suam à se uxorem abjicit, alteram duxerit, aut ab alio dimissam, à communione segregator.

48. Si quis Episcopus aut Presbyter secundum ordinationem Domini non baptizaverit in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, sed in tres principia carentes, aut tres Filios, aut tres Paracletos, deponitur.

49. Si quis Episcopus aut Presbyter in una initiatione non tres immersiones, sed unam dumtaxat, quæ in mortem Domini detur, peregerit, deponitur. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate: sed profecti docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hic Canon in Codice Dionysiano sub numero 50. refertur, ultimique est inter 50. à Latinis maxime probatos, & receptos, licet in versione Herveti, sicut & in hac Holoandri, qui Canonem 12. quemadmodum Græci, non distinguunt, sit 49. unde etiam sit, quod sequentes 35. à Latinis non recepti, illis 49. adjecti ad numerum 85. non pertinent: sed 84. secundum has versiones claudantur. Igitur in versione Herveti, & Holoandri Canon

50. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quovis omnino de Sacerdotali consortio nuptiis, & carnis, & vino abstinerit, non propterea quo mens ad cultum pietatis reddatur exercitator, sed propter abominationem, oblitus, quod omnia pulchra valde, &

quod masculum, & faminam Deus creavit hominem, sed diffamationibus lacensens creationem Dei, vocat ad calumniam, aut corrigitor, aut deponitor, & ex Ecclesia rejicitur: consimiliter Laicus.

51. Si quis Episcopus, aut Presbyter eum, qui à peccato revertitur, non recipit, sed rejicit, deponitur, eo quod Christum offendat, qui dixit, ob unum peccatorem, qui respiciat, gaudium oboriri in Cælo.

52. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus carnis, & vino festivis diebus non utatur, idque per abominationem, non propter exercitationem ad cultum pietatis, deponitur, tanquam quæ cauterio notatam habet conscientiam, & multis auctor sit offendiculi.

53. Si quis Clericus in caupona cibum capere deprensus fuerit, à Communione excluditur: excepto tamen eo, qui necessario in itinere in commune diverterit hospitium.

54. Si quis Clericus Episcopum contumelia affecerit, deponitur: Principi enim populi tui non maledices.

55. Si quis Clericus contumelia affecerit Presbyterum, aut Diaconum, à Communione segregator.

56. Si quis mancum, aut mutum, surdumve, aut cæcum, aut eum, cui vitiosus incessus est, subannaverit, communionem privat: consimiliter & Laicus.

57. Episcopus, aut Presbyter, qui negligentius circa Clerum vel Populum agit, neque in pietate eos erudit, à communione segregator. Si vero in ea sacordia perseveraverit, deponitur.

58. Si quis Episcopus, aut Presbyter Clerico ex inopia laboranti necessaria non suppeditaverit, à communione rejicitur: sin perseverat, deponitur, ut qui fratrem suum necaverit.

59. Si quis falso inscriptus impiorum libros tanquam sacros in Ecclesia ad Popu-

li, & Cleri corruptionem publicaverit, deponitor.

60. Si accusatio contra Fidelem instituat de fornicatione, aut adulterio, aut quacumque alia actione prohibita, & convictus fuerit, in Clerum non perducitur.

61. Si quis Clericus per metum humanum vel Judei, vel Græci, vel Hæretici negaverit, si quidem nomen Christi, ab Ecclesia rejicitur: Si vero nomen Clerici, deponitor; penitentia tamen ductus, ut Laicus recipitur.

62. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino quicumque ex Sacerdotali consortio comederit carnes in sanguine animæ ejus, aut à bestis abseptum, aut suffocatum, deponitor: hoc enim Lex prohibuit. Sin vero Laicus fuerit, à Communione excluditor.

63. Si quis Clericus, aut Laicus Synagogam Judæorum aut Hæreticorum conventiculum ingressus fuerit, ut preces cum illis conjungat, deponitor, & à Communione secluditor.

64. Si quis Clericus in concertatione aliquem pulsaverit, & uno ictu ac pulsatione interemerit, deponitor propter temeritatem suam. Sin vero Laicus sit, arcetor à Communione.

65. Si quis dominicum diem aut sabbatum, uno solo dempto, jejunare deprehendatur, deponitor. Sin Laicus, à Communione ejicitur.

66. Si quis Virginem sibi non desponsatam admoda vi detinet, à Communione suspenditor. Non licitum autem esto ei aliam ducere, sed eam detineto, quam sollicitavit, quantum paupercula sit.

67. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus secundam ab aliquo ordinationem susceperit, deponitor tam ipse, quam qui ipsum ordinavit, nisi forte constet ordinationem eum habere ab Hæreticis. Qui enim à talibus baptizati, aut ordinati sunt, bi neque Fideles, neque Clerici esse possunt.

68. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor sacram Quadragesimam Paschæ, aut quartam seriam, aut Parascevem non jejunaverit, deponitor: præterquam si imbecillitate impediatur corporis; sin Laicus sit, Communionem privator.

69. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino quicumque ex Clericorum consortio cum Judæis jejunaverit, aut communem festum diem cum ipsis egerit, aut lautia festi, nempe azyma, aut aliud hujus generis ab eis susceperit, deponitor; si Laicus sit, à Communionem segregator.

70. Si quis Christianus Oleum ad Sacra Gentilium, aut in Synagogam Judæorum in festis eorum detulerit, aut lucernas incenderit, à Communionem excluditor.

71. Si quis Clericus, aut Laicus eorum aut oleum ex Sancta subripiat Ecclesia, à Communionem sejungitor.

72. Vas aureum, & argenteum sanctificatum, aut velamen linteumve nemo amplius in suos usus assumito; iniquum enim est. Ceterum si quis deprehensus fuerit, excommunicationem multator.

73. Episcopum de aliquo per fidedignos accusatum homines, ab Episcopis vocari necessarium est. Et si quidem comparuerit, & confessus, convictusque fuerit, censura irrogata Ecclesiastica. Si vero vocatus non obtemperaverit, secunda quoque vice vocator, missi duobus ad ipsum Episcopis. Quod si per contumaciam ne sic quidem comparuerit, Synodus suam contra ipsum pronuntiatio sententiam, ne quid tergiversando, detrectandoque judicium, lucrifacere videantur.

74. In dictionem testimonii contra Episcopum Hæreticus non admittitor: sed neque Fidelis, si solus sit. In ore enim duorum aut trium testium consistet omne dictum.

75. Item, non oportet Episcopum fratris, aut filii, aut alteri cognato humano

gra-

gratificari affectu. Neque enim Ecclesiam Dei conferre debet in heredes. Enim vero si quis id fecerit, irrita permaneto ordinatio. Ipse autem excommunicationem percellitor.

76. Si quis oculo defectus, aut obtuso crure existat, & dignus sit, Episcopus efficitur: non enim mutilatio corporis ipsum polluit, sed inquinatio animæ.

77. Qui vero mutus, surdusque, & cæcus est, Episcopus non efficitur; non quia oblatio corpore est, sed ne Ecclesiastica impediatur munia.

78. Si quis dæmonem habeat, Clericus non efficitur: sed neque cum Fidelibus preces fundito. Mundatus vero recipitor, & si dignus fuerit, efficitur.

79. Qui ex vita gentili advenerit, & baptizatus est, aut ex conversatione præva, eum justum non est protinus promoveri in Episcopum. Injurium enim est, eum, qui non prius specimen, & documentum de se præbuerit, aliorum doctorem existere, nisi alicubi dono divina gratia hoc fiat.

80. Dicimus, quod non oporteat Episcopum, aut Presbyterum publicis se administrationibus immittere. Sed vacare, & commodum se exhibere usibus Ecclesiasticis. Animum igitur inducito hoc non facere, aut deponitor. Nemo enim potest duobus Dominis servire, juxta præceptum Dominicum.

81. Servi, si in Clerum promoveantur citra Dominorum voluntatem, hoc ipsum operatur redhibitionem. Si quando vero servus quoque gradus ordinatione dignus videatur (qualis & noster Onesimus apparuit) & Domini consenserint, manumque emisserint, & domo sua ablegaverint, efficitur.

82. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui militia vacaverit, & simul utrumque retinere voluerit, tam Officium Romanum, quam functionem Sacerdotalem, deponitor. Quæ enim Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo.

83. Quisquis Imperatorem, aut Magistratum contumelia affecerit, supplicium luito: & quidem si Clericus sit, deponitor; si Laicus, à communiōne removetor.

84. Sumo omnibus vobis, Clericis simul & Laicis, venerandi ac sacri Libri, veteris quidem Testamenti Moysi quinque, & Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Jesu Filii Nave unus. Judicum unus. Ruth unus. Regnorum quatuor. Derelictorum ex libro dierum duo. Hester unus. De Machabeorum gestis tres. Job unus. Psalterium unus. Salomonis tres, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum. Prophetarum duodecim. Unus Esaiæ, Hieremias unus, Ezechiel unus, Daniel unus. Inquiretor autem à vobis extrinsecus: ut adolescentem vestri addiscant item Sapientiam eruditum Nostro. Nostra vero, hoc est, novi Testamenti Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Pauli epistole quatuordecim. Petri epistole duæ. Joannis tres. Jacobi una. Judæ una. Clementis epistola duæ, & præcesiones, quæ vobis Episcopis per me Clementem in libris octo nuncupate sunt: quas omnibus publicare non oportet ob quædam arcana, quæ in se continent. Et Actiones nostras Apostolorum.

26. Nunc circa illorum Autores est sequens



## QUÆSTIO CRITICA.

An Apostoli sint Authores Canonum vulgo Apostolorum?

## PROPOSITIO.

Canones Apostolis inscripti nedum 35. posterioriores, verum, & priores 50. sunt Apostolis suppositi, & Pseudepigraphi.

27. Prima pars est contra Græcos; quibus ex Latinis, præter Franciscum Turrianum, peculiari tractatu omnium & singulorum authenticam propugnantem, adtipulatur Binius, qui soli 65. & ultimo auctores Apostolos denegat. Secunda pars est contra Baronium ad An. 102. Bellarminum libro de Scripturis Ecclesiasticis in Clemente, Possevinum in Apparatu Sacro, & alios; sed utraque Recentioribus Criticis videtur fere explorata; &

28. Probatur I. ex eo, quod nec omnes, nec aliqui ex his Canonibus à veteribus IV. priorum sæculorum Patribus, imò à nullo subsequentiũ sæculorum, excepto S. Joanne Damasceno, sæculo VIII. florente (eius tamen sententia in hac re prorsus est singularis), in communem Scripturam novi Testamenti sint relati, sicut alia Apostolorum opera, quod tamen fieri debuisset; nulla enim ratio est, cur à Canonis novi Testamenti libris excludatur opus, quod ab Apostolis editum, ac traditum esse consuetissimum.

29. Probatur II. ex eo, quod Scriptores Ecclesiastici, qui Apostolorum opera summa diligentia recensent, uti Eusebius Cæsariensis, Hieronymus, &c. nullam de his Canonibus mentionem faciunt.

30. Probatur III. ex eo, quod, ut supra N. 22. insinuatum est, & infra à N. 88. & seqq. demonstrabitur, hi Canones tempore Concilii Chalcedonensis nec

fuissent in Codice Ecclesiæ universæ relati; quod evidens signum est, & ante, & in illo celeberrimo 630. Patrum Conventu hanc collectionem fuisse ignoratam; nisi enim illam ignorasset, eam Codici inferere certe non omisissent.

31. Probatur IV. argumento supra N. 22. in prob. 2. partis 2. posito, quod juxta suam latitudinem subintrat, & arguendum negativum à silentio tum Scripturum Ecclesiasticorum, tum Patrum Synodi Chalcedonenis vehementer qualificat, & confirmat. Accedit, quod dictos Canones etiam ignoraverint Patres Concilii Nicæni; illi enim tres saltem Episcopos ad ordinationem Episcopi requirunt ait in C. 1. Apost. sufficiunt duo. Item aliud tempus celebrando Concilio, quam Apolt. C. 36. assignant.

32. Probatur V. ex eo, quod hi Canones scripti sunt sermone ab Apostolorum oratione prorsus alieno; in illis enim passim occurrunt vocabula: Clericus, Catalogus, Lector, Sacerdos, Administratio, Laicus, item Pentecoste, primus inter Episcopos, mensis Hyperberetans pro Octobri; quæ nunquam in genuinis Apostolorum operibus usitata reperies.

33. Probatur VI. ex eo, quod Canones 45. & 46. ex hac collectione errorum circa Baptisum videantur obnoxii; & 67. tam circa Baptisum, quam circa ordinationes; siquidem Canon 45. & 46. Baptisma ab hæreticis collatum dicunt esse nullum, & 67. inluper eorundem ordinationem declarat invalidam; cujus contrarium Romana docet, & tenet Ecclesiæ quod nec faceret, nec facere posset, si Canones isti dogmatici essent ab ipsis Apostolis per Clementem Romanum editi.

34. Respondent Adversarii Canone 45. & 46. non damnari simpliciter hæreticorum Baptisma, sed tantum illorum, qui substantiam Baptismi pervertebant, quales sæculo IV. erant Paulianistæ, Anomianæ, Montanistæ, & Sabellianæ.

35. Sed contra est, primo, quod dicti

Ca

Canones hanc distinctionem non exhibent, sed hæreticorum Baptisma simpliciter repudiant. Secundo, quod ratio illorum manifeste evincat, illis omnium simpliciter hæreticorum Baptisma damnari; nam Canone 45. dictum Baptisma ex eo rejicitur, quia nulla est conventio Christi cum Belial, nec pars fidelis cum infideli. Canone vero 46. ex eo, quod taliter baptizatus Cruce, & mortem Domini derideat, neque discernat veros Sacerdotes à Sacerdotibus impostoribus; quas rationes esse generales, ultimamque præterea sentire solos Sacerdotes esse Ministros Baptismi, nemo non videt.

36. Confirmatur ex Ep. Urbani II. relata à Coletto tom. 12. pag. 731. & habetur apud Gratianum dist. 32. c. 6. ubi dicitur Pontifex Lucio Præposito S. Juventii apud Ticinum ita scribit: Sciendum vero, quod Canones Apostolorum, & insignis Cyprianus Martyr, & 80. Episcopi cum eodem Baptisma hæreticorum lavacrum diaboli appellant. Stephanus vero, & Cornelius Martyres, & Pontifices Romani, & Venerabilis Augustinus in libro de Baptismo eundem Cyprianum, & præfatos Episcopos ob hanc causam vehementer redargunt: — & merito, &c. Ubi notandum, Pontificem docere, Canones Apostolorum, nimirum citatos, ita Baptisma hæreticorum appellare lavacrum diaboli, sicut Cyprianus illud appellavit; sed Cyprianus omnium simpliciter hæreticorum Baptisma repudiavit; alias nullam materiam litis cum Stephano habuisset, utpote qui ultro fatebatur hæreticorum illorum, qui substantialem ejus formam corrumpebant, Baptisma esse invalidum: ergo idem sentiebant Canones Apostolorum citati, juxta relatum Summum Pontificem Urbanum II. cujus est verum Canonum sensum declarare.

37. Probatur VII. ex eo, quod dicti Canones difficultates dirimant, aut errores damnent tertio tantum, aut quarto sæculo ortos; quod patet ex Canone 51.

Novatianorum, Donatistarum, & Luciferianorum errores confiscent; qui doceant, lapsorum post Baptisma neminem, vel eorum, qui in crimina quædam inciderant, esse admittendum. Patet etiam ex Canone 62. deponente Clericos, qui aliquid à bestis abreptum comederunt, illos Apostolis esse suppositos; cum Apostoli Act. 15. v. 29. solam à sanguine, & suffocato abstinentiam imponant. Item, quia videntur inducere in errorem, Tertulliano similem, cum Canon 46., ut dictum est, significare videatur, Baptisum per veros tantum Sacerdotes conferri posse.

Item, quia usum præcipiunt tribus prioribus sæculis impossibilem; scilicet, duplicis Concilii celebrationem in unoquoque anno, ut habet Canon. 36. Item, S. Basilii Canones, ejusdem sæculi ac Nicæni, jubent, Clericos pro peccatis ad mortem tantum deponi; plures autem à Canonibus Apostolorum ejusmodi reos deponunt, & excommunicant. Tales sunt Canon. 28. 29. 63. Tandem Canon 64. Clericos die Dominicæ, vel Sabbato jejunantes deponit, & Laicos similiter excommunicat, à qua lege Apostolica Sanctissimos Romanos Pontifices, eruditissimosque Patres Latinos Romæ sæculo II. passim jejunantes tam cito descivisse, si talis revera extitisset, est incredibile, & impium asserere. Denique quia Canone 84. apud Græcos 85., in quo textitur catalogus librorum Hagiographorum, in veteri Testamento omittitur Liber Judith, Tobie, & Ecclesiastici: Sapientia vero tanquam utilis solummodo commendatur; & contra tres Machabeorum Hagiographis adnumerantur; è novo vero Apocalypsis S. Joannis desideratur, & Clementis epistolæ duæ, nec non 8. libri Constitutionum ejusdem tanquam Canonici prædicantur. Quæ omnia Baronium, aliosque non paucos permoverunt, ut crederent, non solum hunc, sed omnes reliquos 34. posteriores ab hæreticis esse confictos; & consequenter tanquam spurios, & suppositivos esse rejiciendos. Et quamvis

vis hic Canon ab hac rigidiore censura purgari possit, primo quia de libris Judith, Tobie, Ecclesiasticis, Sapientie, & Apocalypsis primis Ecclesie sæculis à multis fuit dubitatum, an sint canonici. Secundo, quia libri tres Machabæorum huic Canonis fuerunt recentiori manu adjecti post Joannis Antiocheni, & S. Damasceni tempora, adeoque post medium Sæculi octavi; cum Canon hic ab illis relatus hos libros non habeat. Tertio, quia duæ epistolæ Clementis, sicut & octo libri Constitutionum ejusdem, diversi quidem ab illis, qui nunc circumferuntur, à multis fuerunt pro Hagiographis habiti; per hoc tamen non evincitur, Canonem huic esse Apostolicum, sed tantum antiquissimum.

38. Probatur VIII. ex positivo testimonio Gelasii Pape in Concilio Romano a. c. 494. habito, in quo à 70. Episcopis Libri sacri, & authentici ab apocryphis accurato criterio sunt discreti; in hoc siquidem Concilio, quod refertur à Colecto tom. V. Conciliorum pag. 385. & seqq. editum est decretum continens tres librorum classes; in quorum prima recensentur libri Hagiographi tam veteris, quam novi Testamenti. In secunda Conciliorum Constitutiones, & Patrum libri authentici. In tertia denique Scripturæ apocryphæ. Jam sic: Gelasius Papa cum Concilio Romano Canonum Apostolorum collectionis in prima & secunda classe librorum ibi recensitorum non meminit; in tertia vero, quæ apocryphorum notitiam continet, Canones Apostolorum disertis verbis inter apocrypha numerat, inquit: *Liber, qui appellatur Canones Apostolorum, apocryphus*: ergo Gelasius eos censet apocryphos.

39. Respondet Turrianus: librum Canonum Apostolorum à Gelasio explosum, esse alium quandam à codice 85. Canonum, quem habemus; videlicet, illum, qui ab hæreticis Priscillianistis sub nomine Apostolorum compositus est. Quam responsum fuit testimonio S. Leonis M. ep.

93. ad Turribium, asserentis, se Priscillianistarum multos corruptissimos codices, qui Canonici titulatur, invenisse, & apocryphas Scripturas, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum.

40. Sed contra est I. Gelasius toto illo decreto nullum alium Canonum Apostolorum librum Ecclesiasticum, atque legitimum memorat: ergo nullum agnovit nisi apocryphum. II. Si tunc temporis duo existissent Canonum codices, unus legitimus, & Ecclesiasticus, alter apocryphus, & ab hæreticis suppositus; cæterum uterque ejusdem nominis ac tituli, quemadmodum Tertulliani tempore duo Lucæ codices existabant, unus verus & incorruptus, falsus alter, & à Marcione depravatus: si res, inquam, se ita habuisset, Gelasius distinguere debuisset legitimum Apostolicorum Canonum codicem, quem intactum sinebat, à falso, quem velut apocryphum repudiabat, atque ita decernere: *Liber, qui falso à Priscillianistis Canonum Apostolorum dicitur, apocryphus*; at nulla distinctione usus est Gelasius, ut patet ex verbis supra relatis: ergo omnem, qui tunc exstabat, Canonum Apostolicorum librum hac condemnatione involvit.

41. Respondet Bellarminus: Istud Gelasii decretum non ferre 50. priores Canones Apostolis inscriptos, sed posteriores 35.

42. Sed contra est. Gelasius decernit apocryphum esse librum Canonum Apostolorum; sed 50. priores vel eum librum conscripserunt, vel sunt ejus pars potior: ergo & ipsos apocryphos esse decrevit Gelasius. Nam si 35. posteriores tantum explodere voluisset, prioribus vero 50. parcere, alios ab aliis distinxisset; nec indifferere, & simpliciter librum Canonum Apostolicorum ad apocrypha amandasset.

43. Respondet Baronius: Librum Canonum Apostolorum ideo apocryphum à Gelasio nominari, eo quod non sit in censu divinatorum Librorum novi Testamenti;

NON

non autem quod ex librorum Ecclesiasticorum albo excludi debeat.

44. Sed contra est, quod Gelasius in catalogo suo trichasificato, librum Canonum Apostolorum nec in secunda classe, id est, inter libros Ecclesiasticos, & authenticos collocat: ergo censuit eum esse apocryphum non tantum respectu divinatorum librorum primæ classis, sed etiam respectu ecclesiasticorum in secunda classe à se collocatorum.

45. Probatur ultimo, & est confirmatio præcedentis. Hincmarus Archi-Episcopus Rhemenis in opus. 55. capitum, quod a. c. 870. adversus Hincmarum Neptem Laudunensem Episcopum elucubrav. cap. 24. ita habet: *Cæterum iidem Canones, qui vocantur Apostolorum, non ab Apostolis conscripti creduntur, — sed B. Gelasius in Catalogo, qui libri ab Ecclesia recipiuntur, de his Apostolorum Canonibus penitus tacuit; sed nec inter apocrypha eos misit; quapropter in lectione illorum sequenda est cautela ab eodem S. Gelasio præmonita. Cum hæc, inquit, ad Catholicorum manum advenirent, B. Pauli Apostoli præcedat sententia, quæ dicit: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Advertunt Eruditi, Hincmarum vel in codicem matulm Synodi Romanæ sub Gelasio incidisse, siquidem ait, ipsum non misisse librum Canonum Apostolicorum inter apocrypha; vel mendum in textum Hincmari irrepisse, & loco istorum verborum: Sed nec inter apocrypha eos misit, sic restituendum esse: Sed inter apocrypha eos misit. Hincmaro prævit Ilidorus, probabilissime Hispalensis, qui sæculo septimo ineunte floruit, ejus rigidior in hos Canones censura à Gratiano in decretum est illata dist. 16. c. 1. & in omnibus veteribus libris Conciliorum Hispania inventa, teste Antonio Augustino lib. 1. de emendatione Gratiani dialogo 6. in ea siquidem dicit, quod hi Canones ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscun-*

Tom. I.

tur. Sed minus eos esse tractandos infra N. 59. videbimus. Ex his itaque constat, Viros mediæ ætatis eruditissimos existimasse, Canones, qui Apostolorum dicuntur, falso Apostolis inscribi, nec ab eis utquam editos fuisse, imo ad apocrypha profus amandandos.

46. Dices: Si Gelasius non codicem aliquem Priscillianistarum, sed revera illum, qui nunc exstat sub nomine Apostolorum, inter apocrypha recensuit, ut formiter suadent hæcenus allata tum ex circumstantiis decreti, tum ex autoritate Isidori, & Hincmari indicia: qui fieri potuit primo, ut Dionysius Exiguus, qui 33. an. post citatum Concilium Rom. Cyclum Ecclesiasticum edidit, adeoque Gelasio fere coævus fuit, 50. priores Canones in summo codicem retulerit? Secundo, ut Latina Ecclesia non multo post probando, & recipiendo Dionysianum codicem, eos una receperit, & approbaverit?

Resp. ad I. Dionysium principio collectionis suæ non agere Collectorem Canonum, sed Translatorem græci Codicis, in cujus fronte cum Canones Apostolorum protulerant, illos una transtulit, quod autem Dionysius posterioris 35. post apocryphis habuerit, inde constare videtur, quod solos 50. priores suæ Collectioni inseruerit, ut supra N. 21. visum est. Quod autem suo tempore, & hi 50. priores multi fuerint suspecti, ipse in præfatione Collectionis, suæ aperte innuit, dum inquit: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de græco translulimus, quibus quia plurimi consensum non præbuere facitem, hoc ipsum ignorare vestram nolumus Sanctitatem. Verosimile autem est, dubium de his Canonibus apud multos natum fuisse ex conflictu autoritatis Decreti Gelasiani cum autoritate græci Codicis; & consequenter Gelasium non aliquem Codicem Priscillianistarum, sed præsentem censuisse apocryphum, seu ignotæ originis.*

Ad II. Resp. Ecclesiam Romanam, ap-

P

pro-



probando, & recipiendo Codicem Dionysianum, approbasse 50. priores Canones Apostolorum modo supra N. 24. explicato, non quod censeret illos ab Apostolis editos, sed quia maxima ex parte apostolicam, & primorum Ecclesiarum saeculorum disciplinam continebant; nomen autem Apostolorum iis reliquit, quia sic eos nominari consuetudo obtinuerat.

Momenta Adversariorum expenduntur.

47. **O**bjectio I. desumpta ex testimoniis primorum Romanorum Pontificum sic sonat. Priores Ecclesiae Romanae Pontifices, ut Anacletus, Alexander, &c. Canonum Apostolicorum suis in epistolis discrete meminerunt: ergo sunt vere Apostolici, & ut tales prioribus Ecclesiae saeculis agniti; & ita ruit primum nostrum argumentum, desumptum ex silentio Patrum priorum saeculorum.

Resp. Has epistolas his Pontificibus esse suppositas, ut infra dissertatione speciali evincemus, atque saeculo VIII. proculas, quo dudum Latinis laudati Canones innotuerunt; & consequenter argumentum ex illis desumptum sua sponte ruit.

48. Sed contra est: Gelasius I. P. M. inter authentica scripta retulit epistolas decretales mox laudatas; ergo sunt genuinae.

Resp. Illam referte aliquas, non veras, infra N. 173. & seqq. pariter evincetur.

49. Objectio II. desumpta ex Patribus primorum IV. saeculorum sic sonat. Tertullianus in libro adversus Praxeam scribit, Canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Canon 51. ab Origene citatur lib. 3. contra Celsum. Item S. Athanasius in Synopsi Canones Apostolorum inter hagiographa numerat: ergo noti fuerunt illis saeculis.

Resp. Adversarios his testimoniis uti haud posse, utpote quae apud laudatos Auctores minime reperiantur, ut toti orbi literario constat. Quapropter gratis citatur

Tertullianus tam à Bellarmino, quam à Sixto Senensi, tam à Possivino. Falsa etiam est Binii in notis ad cit. Canonem 51. persuasio; quamvis enim Origenes l. c. testetur, Fideles lapsos, peracta poenitentia, in Ecclesiae communione admittendos fuisse: id quod laudato Canone praecipitur; inde tamen non sequitur, illum ab Origene citatum fuisse, cum eum discrete non laudet; sed tantum, quod suo tempore iam vigeret consuetudo lapsos recipiendi; ex qua fortasse Compiler horum Canonum ausam arripuit hunc Canonem confingendi, ut hac vetulatis objecta larva facilis incautus imponeret. Ad id, quod proferunt ex Athanasio, libere pariter ajo, AA. in objicienda hac auctoritate esse minus cordatos, quiquidem in tota illa Synopsi S. Athanasius ne levisimam quidem Apostolicorum Canonum facit mentionem. Equidem inter ea novi Testamenti scripta, quibus contradicitur, Clementina etiam reponit; id est, illa Clementis nomine paulo ante Eusebii tempora conficta, & evulgata scripta, *verbosa, & proluxa Petri, & Appionis colloquia*, sermonesque complectentia, quorum meminuit Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. c. 38. Ceterum quidquid Clementinorum intellexerit S. Athanasius, non hæc pro libris hagiographis habuit; sed eodem loco dumtaxat, numeroque censendos existimavit, quo Petri & Joannis, & Thomae circueitur: & Evangelium secundum Thomam; quæ inter apocrypha semper censuit Ecclesia.

50. Contra est. Scriptores horum saeculorum in genuinis suis operibus Canonum Apostolorum meminerunt: ergo relecturatur argumentum. P. A. primo ex Alexandro Episcopo Alexandrino, qui in ep. ad Alexand. Episc. Constant. quam refert Theodoretus lib. 1. Hist. Eccl. c. 4. discrete horum Canonum meminit; ibi enim Episcopi, qui Clericos suscipiebant, quos ipse ob subscriptionem literis Arianorum excommunicaverat, ab illo ex eo objurgatur,

tur, quod ausi fuerint id, quod Canon Apostolicus non permisit, videlicet 14. Secundo ex Epistola Constantini Imperatoris ad Eusebium Cæsareensem data, quæ exstat apud Eusebium lib. 3. de vita Constantini c. 59. in qua sic scribit: Porro abs te prudenter sane factum est, quod & Domini mandatum, & Apostolicum servare Canonem decrevisti, Episcopatum Ecclesiae Antiochena prorsus repudiando, & in eo Episcopatu fungendo permanere laborasti, quem ab initio Dei voluntate suscepisses. Quibus verbis manifeste indicat C. 13. Apostolorum, quo transmigrationes de uno Beneficio ad aliud prohibentur. Tertio ex S. Athanasio in Epistola ad Orthodoxos, ubi de Gregorii Cappadocis hominis Ariani audacia conqueitur; qui iussu Comitis per vim Sedem Alexandrinam occupavit; violatolque Canones Ecclesiasticos palam profitetur; id est, Canonem Apostolorum 29. quo praecipitur: Si quis Episcopus secularium Magistratum familiaritate usus, per ipsos Ecclesiam nactus fuerit, deponitur. Quarto ex S. Basilio ep. ad Amphiloichium c. 3. ubi Diaconum à gradu dejectum ob crimen non arceat à communione, & rationem dat: Quoniam antiquus est Canon, ut lapsi ex gradu, ex ministerio quidem sacro ejiciantur, communione vero nequaquam priventur: qui Canon est Apostolicus 24. Quinto ex Innocentio I. P. M. in ep. ad Victritium Rhotomagensis Episcopum data a. c. 404. ubi capitibus 1. 2. 3. 5. & 6. multa decrevit, quæ Apostolicis Canonibus 1. 61. 34. 36. 12. continentur; quod autem illa ex his Canonibus desumpserit, constat ex præfatione dicte epistolæ, in qua dicitur: Non quo nova præcepta aliqua imperentur; sed ea, — quæ Apostolica, & Patrum traditione sunt constituta.

Ad solvendam hanc replicam notandum: Cum S. Paulus 1. ad Corinth. 11. v. 34. dicat: Cætera, cum venero, disponam; & Actor. 20. v. 28. Seniores hor-

retur, inquit: Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, indubitanum illorum tantum Apostolos, sed etiam illorum Discipulos, & horum Successores, tam ex proprio motu, quam etiam in conventibus, sevientibus sane persecutionibus, plerumque subterraneis, aut alias occultis varia disciplinam Ecclesiae concientia ordinasse, quæ postmodum usi, ac diuturnis moribus Christianorum firmata, à Patribus, Conciliisque subsequenter nominibus Canonis Apostolici, Regula Ecclesiastica, Canonis antiqui, &c. indigitata sunt; eo quod crederent, dictas regulas vel ex traditione Apostolica descendere, vel à Viris Apostolicis (quo nomine vocare Apostolorum discipulos, seu primos Ecclesiarum Patres ad distinctionem ipsorum Apostolorum præcis solemnem fuit) esse conditos, quæ cateroquin scriptæ non essent. Etiam exemplis confirmatur. Nam Canone 13. Nicæni Concilii dicitur: De his, qui ad exitum veniunt; Lex antiqua, regularisque servabitur; ita ut si quis egredietur è corpore, ultimo & necessario Viatico minime privetur; & tamen hæc Lex nec in Canonibus Apostolorum, nec alterius Concilii Nicæno antiquioris habetur. Item Synodus Ancyrana habita anno C. 414. c. 21. ait: Priorem definitionem præcepisse, ut mulieres, quæ fornicata fetus in utero perimerent, usque ad exitum vitæ ab Ecclesia removerentur. Quæ prior definitio pariter neque in Canonibus Apostolorum, neque in ulla anteriori Synodo reperitur. Quapropter in vanum laboravit eruditissimus Turrianus in sua defensione horum Canonum, coæservando tot sententias Patrum, & Conciliorum primorum IV. saeculorum, qui, si ad priores Canones revocando statuant id, quod in his Canonibus præceptum deprehenditur; ex eo enim non sequitur, dictos Patres, & Concilia hos Canones perspectos habuisse; sed nomine Canonis Apostolici,

Regulae Ecclesiasticae, vel Legis antiquae, secundum clavim datam, intellexisse vel traditionem Apostolicam, secundum illud S. Hieron. ep. 28. *Unaquaque Provincia abundet in suo sensu, & praecepta majorum Leges Apostolicas arbitretur*; vel Canonem à Discipulis Apostolorum constitutum, aut moribus primorum Christianorum introductum; aut si Patres, & Concilia tanta in Apostolos pietatis, in causis saepe intricatissimis, dum similes Canones allegabant, hanc collectionem sub venerando nomine Clementis ne semel quidem, ad conciliandam suis decretis Apostolicam auctoritatem, laudassent. Quapropter verosimilius est, illum, qui hanc Collectionem sub euentio Clementis nomine consarcinavit, callido potius consilio ad horum Patrum, & Conciliorum allegationes respexisse, atque ad hanc amissam suam imposturam exegisse; quam illos ex Collectione dicta, quae tunc nulla erat, regulas Ecclesiasticas laudasse. Quo prae-notato ex clavi data, ad replicam

Resp. N. A. ad 1. prob. N. quod Alexander illis verbis intellexerit Canonem Apostolicum 14. nam dictus Canon non loquitur de illis, qui cum Haereticis communicant, vel eorum literis subscribunt; sed illos Episcopos perstringit, qui Clericos à propria Parochia vel Diocesi sine licentia Ordinarii migrantes suscipiunt. Unde S. Alexander per Canonem Apostolicum non intellexit legem aliquam scriptam, & editam ab Apostolis, atque à S. Clemente N. 14. in sua Collectione locutam; sed regulam à Viris Apostolicis (ut pie credebatur) sine scripto acceptam, usque Ecclesiarum firmatam.

Ad II. ex eadem clavi dico, his verbis Constitutum M. nequaquam intelligere Canonem Apostolicum relatum, sed vel

traditionem Apostolicam, quae fluxit ex illo Apostoli: *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem*; vel alium antiquum Canonem, transmigrationes Episcoporum prohibentem, usum, moribusque Ecclesiae firmatum.

Ad III. Resp. ex ipsa clavi S. Athanasium ibi non laudare Canones Apostolicos per Clementem editos, sed Canones *pudbre ac firme à Patribus traditos*.

Ad IV. dico, hunc Canonem Pseudo-Apostolicum potius ex Basiliano exscriptum, quam ab eo citatum fuisse; certe de illo ne cogitasse quidem S. Basilium constat ex ratione, quam addit suo Canonem in objectione relato: *Arbitror, inquam, secutos esse illos primos legem illam, non vindicabis bis in idipsum*; hoc enim frigidè omnino, ineptèque dixisset de Authoribus dicti Canonis; hos enim secutos esse legem illam, evidenter est, quam ut id verbo, *arbitror*, significare voluerit Basilium, cum ea ratio diserte Canonem addatur his verbis: *Bis de eodem delicto vindictam non exiges*.

Ad V. Resp. ex eo, quod in relata ep. Innocentii I. multa statuatur, quae in citatis & aliis Canonibus Apostolorum habentur expressa, non enim, dictum Pontificem ea inde desumpsisse, sed potius impostorem illas regulas, quod essent in communi Ecclesiarum usum, in suam faraginem intulisse, ut publica auctoritas speciem aliquam mendaciorum conciliaret: si enim Innocentius illa, quae ibi ad Victorium, & ceteros Galliae Episcopos scribit, ex Canonibus Apostolicis destitisset, eos utique laudasset; hoc enim maxime pertinebat ad conciliandam decretis suis auctoritatem apud dictos Episcopos; quod tamen nusquam fecit ille Pontifex, qui, dum Nicenos Canones 1. 4. & 7. citat, illam Synodum diserte verbis laudat.

Ad id, quod additur, servitute per modum replicae ad datam responsionem, dico: Ex hac præstatione equidem colligi, dictum Pontificem exultimasse, illa, quae deinceps

ceps

ceps ibi decernit, fuisse jam ab ipsis Apostolis, sive viva voce, sive etiam scripto Christianis tradita; & ipse sane varia ex Moysè & Paulo eruit, uti Capitulum de *bigamis non ordinandis*, &c. ex hoc tamen non sequitur, quod reliqua, quae ibidem nulla Scripturarum auctoritate fuisse, ex his Canonibus desumpserit; sed usum immemorabilem Ecclesiae Apostolicam traditionem exultimavit, juxta laudatam in clavi mox adducta S. Hieronymi parœmiam.

51. Objectione III. desumpta ex Conciliis primorum IV. saeculorum sic sonat. Canon 5. Concilii Niceni laudatur, & confirmatur antiquus Canon, quo interdictum est Episcopis, ne ab uno excommunicatis recipiant in Communionem. Idemque sit à Concilio Antiocheni Canone 2. qui Canon est ordine 12. in Apostolicis. Secundo, eadem Synodus Nicæna c. 15. vetat migrationes ab una Parœcia ad aliam, tanquam præter Canonem factas, videlicet 15. Apostolorum. Quo etiam spectat c. 21. Concilii Antiocheni decernens: *Ut Episcopus maneat in Ecclesia, quam à Deo sortitus est, secundum decretum prius ea de re editum*.

Resp. ad I. ex clavi data: utrumque Concilium per Canonem antiquum intelligere regulam publici Ecclesiae moris, usulque derivati ex illo Apostoli: *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem*; si enim vel una, vel altera Synodus laudatum Canonem ex Clementina Collectione promississet, & Apostolicum appellasset, & Collectionem laudasset, id enim exigebat & Apostolicus honor, & Patrum Nicænarum pietas, & legis, quam ferebant, auctoritas. Et idem respondetur ad secundum.

52. Instabis, PP. Nicæni cap. 1. statuunt: *Si quis se ipsum exciderit, ne in Clerum admittatur, &c.* Item statuitur à Canonibus Apostolicis 20. 21. & 22. Præterea eadem Synodus c. 2. ait, multa facta esse adversus ecclesiasticam regulam;

E. g. quod Neophyti in Episcopos assumantur, &c. Haec porro regula est Canon Apost. 79. Denique Canon 19. Canon Apost. 61. quo lapsi ad Clerum promoti deponi jubentur, insinuat, & explicatur.

Resp. ad I. ex his ipsis Canonibus Apostolicis validum argumentum desumi pro nostra sententia, eos dicente apocryphos; si enim genuini essent, Origenes adolescens piissimus, & eruditissimus circa a. circiter 208., quo tempore, teste Eusebio lib. 6. c. 7. Scholæ Alexandrinæ Ecclesiae jam præerat, se se non excidisset; quod tamen fecit, à Demetrio Alexandrino Patriarcha propterea non reprehensus; si enim docendi abdicatus, nec ad tricennium excommunicatus, uti præscribit C. Apost. 23.; sed insuper à Theodotilo Caesare, & Alexandro Ierosolymorum Episcopis ad Presbyteratum promotus; quæ omnia fieri non potuissent, si dicti Canones jam tum extitissent, uti eos legenti patebit. Accedit, quod Demetrius, mutato postea erga Origenem animo, dum eidem abscissionem dictam objiceret, non verbulo quidem insinuet, eum hoc facto Canones Apostolicos violasse. Canon itaque à Nicænis Patribus laudatus est mos ipse Ecclesiae, vel lex antiqua occasione Origenici facti ad Ecclesiasticis Praepositis lata; quæ deinceps apud omnes Ecclesias communis Antiquitatis consensu obtinuit.

Ad II. Resp. PP. Nicænos ibi non laudare Canonem Apostolicum 79., sed regulam Ecclesiasticam ex Apostoli præcepto derivatam; suo enim Canonem hanc rationem subjungunt: *Manifesta est enim Apostoli scriptura, quae dicit, non Neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat, & in laqueum diaboli*.

Ad III. Resp. negando Regulam Ecclesiasticam, ad quam alludit PP. Nicænarum Canon 10. esse 61. Canonem Apostolorum; satis enim est ad PP. Nicænarum sententiam explicandam statuere, jam tum fuisse morem aliquem certum ac legit-

giti-

gitiuum, quo Apostataz à Clero arcerentur; partim ex Scriptura, partim ex ipso lumine rationis desumptum, sive scripto, sive usu regulam Ecclesiasticam constituentem.

53. Et eodem modo respondendum est ad Can. 9. Concilii Antiocheni, quo inhibetur, ne quid gravius momenti agant Episcopi Provinciales sine licentia Metropolitanæ, secundum antiquam à Patribus nostris regulam constitutam. Quod idem prohibetur C. 33. Apostolorum.

Ex hoc enim aliud non evincitur, quam ea, quæ Patres Antiocheni ibidem decernunt, jam ante Synodum Antiochenam in usu Ecclesiastico fuisse, à superioris memorie sive Synodis, sive Episcopis constituta; quod patet ex eo, quod regulam citatam non vocent *Apostolicam*, sed à *Patribus* constitutam. Nec vero necesse est, nomine antiquarum regularum, quæ sive à Nicæna, sive ab Antiochena, sive ab anterioribus Synodis memorantur, intelligi Canones Apostolicos, quamvis in anterioribus monumentis conscriptæ non sint; contrarium enim supra N. 50. exemplis demonstravimus. Quapropter & Concilia Africana, ut Carthagenense II. Can. 8. Africanorum Can. 53., & Codex Africanus Can. 49. & 86. dum *Disciplinam Ecclesiasticam, ordinem à Patribus, & Majoribus observatum: formam antiquam, statuta ex antiquorum sententia, & his similia* memorant, mox explicato sensu accipienda sunt.

54. Dices. PP. Africani in Concilio Carthag. II. Can. 2. Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum continentiam facientes, ajunt: *Id Apostolos docuisse, & ipsam servasse antiquitatem;* quibus verbis indicantur Can. 5. Apostolorum.

Resp. dictum Canonem 5. Apostolorum nihil sancire de Clericorum celibatu, uti patet legenti. PP. ergo Africani Canone citato senserunt Apostolos id docuisse in genere, vel viva voce, non in specie, vel scripto. Quod iterum exemplo est, Patres

aliquando regulas antiquas, vel Apostolicas allegasse, quæ nec in Canonibus Apostolorum, nec in alio vetustiore monumento exstant.

55. Objectio IV. desumpta ex Patribus sæculi V. sic sonat S. Leo I. ep. 92. ait 1. ex Apostolica traditione descendere id, quod refertur C. 24. Apostolorum. 2. ep. 1. citat Canonem 16. & 17. de iis, qui ordiari ob impedimentum, præcipue Bigamiæ, non possunt 3. ep. 84. citat Canonem Apostolicum 33. qui est de dignitate Metropolitanorum conservanda: 4. in eadem ep. c. 7. Canonem 36. de binis Conciliis annuatim celebrandis: ergo agnovit Canones Apostolicos. Secundo Gelasius Papa multa in suis Epistolis, atque decretis ex Apostolorum Canonum libro laudat, ac velut Ecclesiasticas Regulas affert; & primo quidem ep. 9. citat *Patros Canones* contra eos, qui se abstinunt: respiciens Canon. 22. Apostol. Ibidem laudat *Reverendorum Canonum* constituta contra desertores *propria Ecclesie*, alludens ad Canones Apost. 14. & 15. Ibidem C. 20. *Majorum veneranda constituta* contra peccatores surrepentes; quibus verbis Canones Apost. 24. & 60. intellexit. Denique ep. 5. conqueritur, quod *Episcopi contra Canones omnia gerant, & contra Apostolicam disciplinam passim cuncta miscant, & non servatis regulis sacras Ordinationes consulant.* Agnovit igitur Gelasius Regulas Apostolicæ disciplinæ de dignis & indignis Ordinationibus, qui sunt Apostolici Canones. Præterea Theodolius Imp. lib. 3. cap. de Summa Trinitate, Irenæum quemdam, post binas nuptias, præter Apostolicos Canones, Tyriorum Civitatis Episcopum factum, ab ea Ecclesia dejecit; quibus verbis respicit Canonem 16. Apostolicum. Ac tandem S. Hieronymus ad Canonem 5. Apostolorum retulit, quod in ep. ad Damasum de decimis & oblationibus Laicis non concedendis scripsit, quodque à Gratiano 16. q. 1. c. 68. observatum est. Ergo Ca-

nones

nones Apostolorum sæculo V. vere sunt habiti Apostolici.

Resp. ad auctoritates ex S. Leone desumptas, & quidem ad primam, S. Leonem I. c. non docuisse consuetudinem illam, quæ Presbyteri publice penitentia non subjacebantur, ex Apostolica traditione descendisse, quasi sumpta esset ex relato Canone 24., sed quod divinis Litteris esset consentanea; dicit enim: *Quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo?*

Ad II. Resp. S. Leonem I. c. inter alia quidem etiam nominare Canones Ecclesiasticos, sed eos nominatim non citare.

Ad III. Resp. S. Leonem ibidem respicere C. 6. Nicænæ Synodi, quo Privilegia Ecclesiarum sacra testata esse jubentur.

Ad IV. Resp. Leonem ibidem per SS. Patres alios pariter non intelligere, quam Nicænos; quorum disertissimus eam in rem est Canon 5.

Ad testimonia ex Gelasio adducta Resp. Negando Gelasium quidpiam ex Canonibus Apostolorum, quos in decreto supra N. 38. relato aperte dixit apocryphos, in suis Epistolis referre.

Ad primum itaque dico, Gelasium ibi laudare Can. Nicænum 1. hæc de Eunuchis præcipientem. Ad 2. dico: illos Canones esse Nicænos 15. & 16. Ad 3. dico: illos Canones esse Nicænos 9. & 10. Ad 4. ajo: Gelasium Canones simpliciter nominare, Ecclesiasticos videlicet, non ex libro Canonum Apostolorum petitos. Ait porro contra *Disciplinam Apostolicam* facere eos, qui passim cuncta miscant, quia Apostolus 1. ad Corinth. 14. jubet, ut in Ecclesia omnia honeste, & secundum ordinem fiant.

Ad testimonium ex Theodosto desumptum Resp. Theodostum his verbis intellexisse Apostolicam doctrinam, qua constitutum est, Episcopum unius uxoris virum esse debere. 1. ad Timoth. 3. & ad Titum c. 1.

Ad testimonium S. Hieron. respondent

Correctores RR. ad dictum Canonem: *Pars hujus capituli citatur ex B. Hieronymo, in cujus, quæ exstant, scriptis nihil hujusmodi inventum est.*

56. Objectio V. desumpta ex Concilio sæculo V. celebratis sic sonat. In Concilio Generali Ephesino Actio 7. refertur, Antiochenum Episcopum ordinatione Provincie Cypri ad se trahere contra *leges Ecclesiasticas, & Canones Sanctorum Apostolorum*, videlicet 33. & 34., qui Ordinationes in aliena Diocesi Episcopis interdicit: ergo hi Canones, & consequenter tota collectio erat Concilio nota.

Resp. Latinam Ephesinæ Synodi editione loco innox laudato nihil de *Apostolis* habere; sed dicit *Canonum Patrum Canones*, prout non tantum habet Græcus Codex vetus, sed etiam Romana, Constantinensis, & Parisiensis Græcorum Conciliorum editio. Videntur autem PP. Ephesini ad Antiochenum Canonem 13. alludere, quo similia caventur. Et similiter Synodus Chalcedonenfis Can. 12. dicens, Episcopos, qui, Principum autoritate interposita, Sedibus suis Metropleon honorem quærebant, præter Ecclesiastica statuta agere, non intellexit Can. Apostolicum 30., sed Nicænos 6. & 7., & Constantinopolitanum 2.

57. Objectio VI. desumpta tum ex Scriptoribus, tum ex Concilio sæculo V. posterioribus sic sonat: Synodus Trullana Can. 2. Synodus Œcumenica 7. Canonibus 1. 5. & 10., Synodus Romana sub Gregor. VII. Can. 2. Triburienfis Can. 2., Parisiensis sub Ludovico Pio Can. 15. Tridentina Sess. 25. c. 1. de Reform., Joannes Damascenus lib. 4. de Fide Orth., Tarasius Patriarcha CP., Photius in Bibliotheca, S. Bonifacius in ep. ad Gurbertum Anylum, Nicolaus I. passim in suis decretis, Leo IV., Joannes VIII. in ep. ad Basilium Imperat. laudant hos Canones tanquam Apostolicos: ergo tenere dicuntur apocryphi.

Ref.